

Quid est ecclesia?

Ecclesia visibilis in hac vita est coetus visibilis amplectenti-[79:]um euangelium et recte vrentium sacramentis, in quo coetu Filius Dei est efficax et voce euangelij et Spiritu sancto multos regenerat ad vitam aeternam suntque in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

5

Quae sunt signa monstrantia veram ecclesiam?

Tria sunt: I. Consensus in doctrina euangelij incorrupta, quod ad fundamentum attinet. II. Legitimus vsus sacramentorum. III. Obedientia ministerio debita iuxta euangelium.

Cur ecclesia dicitur sancta?

10

Ecclesia vocatur sancta in hac vita per synecdochen, quia multa sunt membra sanctificata Spiritu sancto et electa. Fit autem a principali nuncupatio et membra sanctificata vsitate nominantur viua membra ecclesiae. Alij non sancta vocantur mortua membra, si tamen de doctrina consentiant.

[80:] Quomodo est ecclesia sancta, cum in hac vita in omnibus sit peccatum et sordes multiplices? 15

Viva membra ecclesiae sunt sancti in hac vita partim imputatione partim inchoatione. Imputatione, quia propter mediatorem teguntur in eis sordes et imputatur eis